

# The Digital *Viridarium consolationis* Project

## Pars 3: De virtutibus theologis et cardinalibus Caput 1: De fide (6)

Idem (Bernardus):

Mors fidei est separatio caritatis.

Non facit hominem rectum recta fides,  
que non operatur ex dilectione.

Sed nec opera, quamvis recta, rectum cor efficere suffitiunt sine fide.  
Quis enim rectum dicat hominem non placentem deo?  
Sine fide autem impossibile est placere deo.  
Qui non placet deo, non potest illi placere deus.  
Nam cui placet deus, deo displicere non potest.

Mors fidei est separatio caritatis.

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones super Cantica canticorum*, 24.8  
(SBO 1, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., p.161, l.3).

Vides quod non faciat hominem rectum fides etiam recta,  
quae non operatur ex dilectione.

At qui sine dilectione est, non habet unde diligit sponsam.

Sed nec opera, quamvis recta, rectum cor efficere sufficiunt sine fide.

Quis enim rectum dicat hominem non placentem Deo?

SINE FIDE AUTEM IMPOSSIBILE EST PLACERE DEO.

Qui non placet Deo, non potest illi placere Deus.

Nam cui placet Deus, displicere Deo non potest.

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones super Cantica canticorum*, 24.8  
(SBO 1, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., p.162, ll.1-7).